

## PRAEFATIO

CUM summi poetae textum recensendi opus suscepissem, illud sane re ipsa mihi erat praescriptum, ut Medicei codicis fidem quoad fieri posset observarem, si quid correctius ostenderent libri recentiores acciperem, ubi omnes viderentur errare optimis coniecturis ita uterer ut certiora modo nec longius a libris aberrantia in textum adsciscerem, probabilia in apparatu critico commendarem, cetera quamvis ingeniosa omitterem. quae omnia ut facile praecipiantur, ita perficere conanti plane difficillima. quamquam enim CCCL iam annos (usque a Turnebo Robortello Victorio) doctorum labore arte iudicio Aeschyli textus indies fit correctior, ea tamen vel optimi libri est corruptio, ut permulta hodie restare sit fatendum, quae neque recte tradita neque coniectura adhuc fuerint sanata.

De codicibus igitur primum pauca sunt monenda: de quibus cum multi varie disputaverint, haec potissimum iam profuerit referre, quae omnium consensu firmantur. Constat enim Mediceum ceteris ut aetate ita auctoritate longe praestare; persaepe pessimos errores in omnibus libris eosdem inveniri; plurimis locis alios alio errore omnes pariter laborare; haud raro ceteris corruptis Mediceum solum veram